

ut potius a quibusdam Theologorum ambabus, quod dicunt, manibus accepta & defensa fuerit. Aliis alia distinctio perplacuit, in eo tamen omnes fere accuratioris Methodi studiosissimi conveniunt, quod *gratia applicatrix in praevenientem, preparantem, operantem, cooperantem & conservantem* commodissime dividi possit. Quicquid tamen hujus rei sit, gratia fundamentalis s. quæ fundamentum nostræ salutis in se continet, ab illa, quæ præcedit & iterum illa, quæ fundamentalem sequitur, accurate & probe distingvenda est. Qui enim id discriminis nescit, neque in concionibus ordinem decentem sequetur, neque salutari ratione populum docebit. *Gratia fundamentalis est justificans gratia* & eo ipso cor quasi & *centrum ordinis salutis*. Supponit vero quædam, quibus sine nemo ad illam pervenire potest. Pertinet eo tam vocatio, quam illuminatio, &c. Utraque præparantem seu prævenientem gratiam constituit, qua Deus homini peccatori vi prædicationis Evangelii gratiam suam in Christo offert, naturalem incapacitatem aufert, imo non solum naturalem, sed etiam malitiosam repugnantiam tollit, intellectum notitia salutari imbuit, cor vero per verbum legis ita conterit, ut ad salvificam fidem in Christum concipiendam præparetur. Dispalescit ex his, cum modo dicta vocatione & illuminatione conversionem sensu strictissimo sumtam & regenerationem s. gratiam operantem immediate conjunctam esse, quarum prior s. conversio hominem ita frangit & movet, ut cum summo animi dolore peccata detestetur, posterior vero s. regeneratio salvifica eum fide donat. Gratia illius ubi jam homo particeps factus est, eo ordine scil. *VOCATIONIS, ILLUMINATIONIS & REGENERATIONIS* ex mera Dei misericordia propter meritum Christi vera fide apprehensum *justificatur*, hoc est, remittuntur ipsi peccata & justitia Christi in salutem eidem imputatur.